

AVIENUS

DESCRIPTIO ORBIS TERRAE (1381 vers)

v.1 Qua protenta jacent vastae divortia terrae
 2 et qua praecipiti volvuntur prona meatu
 3 flumina per terras, qua priscis inclyta muris
 4 oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum
 5 qua colit, Aoniis perget stilus impiger orsis.
 6 Ardua res, musae. Deus, en deus intrat Apollo
 7 pectora, fatidicae quatiens penetralia Cirrhae.
 8 Pierides, toto celeres Helicone venite,
 9 concinat et Phoebos vester chorus ; Oceanumque,
 10 carminis auspiciam, primum memorate camenae.
 11 Oceani nam terra salo praecingitur omnis,
 12 parva ut caeruleo caput effert insula ponto :
 13 nec tamen extremo teres est situs undique in orbe,
 14 qua colitur populis, qua tellus paret aratro ;
 15 sed, matutino qua caelum sole rubescit,
 16 latior, accisi curvatur caespitis arvo,
 17 cetera protentus. Tria sunt confinia terrae
 18 unius : est primum Libyae Europaeque Asiaeque.
 19 Aequare ab Hesperio qua se salis insinuat vis,
 20 terrarumque cavis illabitur, arduus Atlas
 21 qua juga celsa tumet, Libyae sese explicat ora :
 22 finis huic Gades, septenaque gurgite vasto
 23 ora procul Nili, Phariorum ubi gleba recumbit,
 24 et Pelusiaci celebrantur templa Canopi.
 25 Europaeque dehinc laevum est latus : at procul ambas
 26 una Asia, inclinans geminis se cornibus, urget
 27 desuper, ac rupti divortia continet orbis.
 28 Europam atque Asiam Tanais disternit amnis
 29 hic se Sarmaticis evolvens finibus alta
 30 scissus Araxeo prius aequare, jam suus unda
 31 effluit in Scythiam : procul hinc Maeotida Tethyn
 32 intrat, et inserto freta pellit vasta fluente,
 33 Ismaricique riget semper flabris aquilonis.
 34 At qua piscosi gurges strepit Hellesponti,
 35 vis obliqua sali tepidum procumbit in austrum,
 36 terrarumque trium modus est mare, donec in alti
 37 ora procul Nili late Thetis efflua serpat.
 38 Altera pars orbem telluris limite findit.
 39 Caespes terga jacens Asiae succedit in oras,
 40 immensusque modi protenditur. Hic latus artans
 41 Caspia contingit freta desuper, atque tumentis
 42 proximus Euxino est : Asiam conterminus iste
 43 Europamque secat. Tellus sese altera in austrum
 44 porrigit, insertoque sinus interjacet agro
 45 aestuat) ; et Libycis Asiam discernit ab oris
 46 sic diversa fuit sententia, rite quis orbi
 47 limes haberetur. Totum hoc circumlatrat aestus,
 48 et maris infesti moles ligat. Una furenti

49 natura est pelago, pelagi sed nomina mille,
 50 aequor ut innumeris terrarum admoverit oris.
 51 Qua se blanda satis intendunt flabra Favoni,
 52 Hesperium Oceano mare terras intrat ab alto.
 53 Axe Lycaoniae rursum facis, atque ubi dura
 54 belligeratores nutrit tellus Arimaspas,
 55 nomine Saturni late jacet aequoris unda.
 56 Hic densata sali stant marmora, pigraque ponti
 57 se natura tenet, numquam ruit effluus umor :
 58 mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu
 59 denique, quod lento stupeat plaga salsa profundo,
 60 vel quod sole carens pars orbis taetra rigescat.
 61 Vis hebes has oras ardor Titanius afflat,
 62 vis evecta dies illuminat, omneque late
 63 at qua prima dies rutilo sustollitur ortu,
 64 aureus et tremulas late rubor inficit undas,
 65 Eoum pelagus, freta dicunt Indica pandi.
 66 Propter Erythraei tenduntur dorsa profundi,
 67 Aethiopumque salum diffunditur. Hic notus aethram
 68 urit, et hic aestu radiorum Phoebus anhelo
 69 arva coquit : sterilis regio est, et inhospita late
 70 aret humus, cassaeque solo torrentur harenae.
 71 Oceanus sic cuncta vago complectitur aestu,
 72 undique sic unus terras interminus ambit,
 73 innumerosque sinus cavat illabentibus undis
 74 desuper ; e multis celebri sub nomine tantum
 75 quattuor infuso late sale terga dehiscunt.
 76 Primus in orbe sinus vasti maris aequora gignit,
 77 gurgitis Hesperii ; procul hic protentus in ortus
 78 faucibus a Libycis aestum trahit, atque ubi laetam
 79 caespitem sub pingui pandit Pamphylia glebam,
 80 deficit, et curva sinuatur litoris ora.
 81 Alter item est primo brevior, majorque duobus.
 82 Hic prolapsus aqua est, Boreali fusus ab alto,
 83 terga procelloso turgescit Caspia fluctu.
 84 Hyrcanum hoc pelagus pars nominat. Hinc duo rursum
 85 ora patent ponti ; geminus sinus aequoris intrat,
 86 telluremque cavat, qua se Notus axe tepenti
 87 erigit. Horum unus vada longe Persica fundit,
 88 Caspia conversus procul in freta ; porrigiturque
 89 quartus Arabs, tumet hic rapido per aperta fluento,
 90 Euxinumque salum videt eminus. En tibi rursum
 91 aequoris Hesperii tractus loquar : istius unda
 92 lambit terga soli, qua se vagus explicat orbis.
 93 Nam vel caeruleo loca circumplectitur aestu,
 94 vel celso demissa jugo confinia radit,
 95 moenia vel fusi praestringit gurgite ponti.
 96 In Zephyrum tellus extenditur oraque terrae
 97 ultima proceras subducit in astra columnas.
 98 Hic modus est orbis Gadir locus, hic tumet Atlas
 99 arduus, hic duro torquetur cardine caelum,
 100 hic circumfusus vestitur nubibus axis.
 101 Et primum ruptas se pontus Hibericus illinc
 102 inserit in terras : caput autem principiumque
 103 Europae et Libyae est. Mediis infunditur oris,
 104 irrepitque salum. Scopuli stant ardui utrimque :
 105 unus enim Europam, Libyam procul aspicit alter.
 106 Sic discreta freto procera cacumina celsis

107 emicuere jugis, sic intrant saxa profundum,
 108 sic subeunt nubes, sic caelum vertice fulcit
 109 Maura Abila, et dorso consurgit Hiberica Calpe.
 110 Gallicus hinc aestus provolvitur. Hic super urbem
 111 Massiliam gens Graia colit, Ligurumque tumescit
 112 aequor, et indomito tellus jacet Itala regno.
 113 Ausonis haec regio est ; publi genus ab Jove summo.
 114 Qua se flabra trucis Boreae per inhospita terrae
 115 eructant caelo, populis caput Aeneadarum,
 116 alba dehinc cautes est terminus : haec freta propter
 117 Trinacriae summa consurgit litoris ora.
 118 Evolvuntur item vada fusi caerula ponti ;
 119 insula qua Cyrnus fluctu madet alludente,
 120 litoris ostriferi protendens latius undam,
 121 Sardiniamque dehinc moles circumflua cingit
 122 aequoris, et cano spumant freta concita fluctu.
 123 Hinc Tyrrhena sali sunt agmina, qua notus axem
 124 umidus inclinat ; qua lux se rursus eoa
 125 emergit pelago, Siculi maris aestuat unda,
 126 obliquumque quatit gurges protentior altum
 127 usque in saxosi Pachyni juga. Plurimus inde
 128 in Cretam trahitur ponti tumor ; hicque procul se
 129 inclinat rupes, atque obvia fluctibus altis
 130 ingreditur pelagus Gortynia moenia juxta,
 131 ac procumbentis sola propter pingua Phaesti.
 132 Prona mari cautes extenditur, ut ferus ora
 133 est aries ultroque minax petit obvia fronte ;
 134 denique sic olli nomen prior indidit aetas.
 135 Nec minus Italiam cornu prospectat acuto
 136 litoris, et rapidi perflatur Iapygis ore.
 137 Hinc se rursus aquis Hadriatica marmora fundunt
 138 in Borean, zephyrumque dehinc deflexa parumper
 139 alta petunt, rauco penitus repentina fluctu.
 140 Hic sinus Ionius curvatur litoris acta,
 141 caespitis et gemini tellus irrumpitur alto.
 142 Nam qua caeruleis pontus sese inserit undis,
 143 Illyris in dextris pandit regionibus agros,
 144 Emathiamque super sulcat genus acre virorum ;
 145 Ausonidum laeva est ; hinc longo caespite tellus
 146 funditur, et varia populorum pube domantur
 147 arva soli. Trina haec pelagi circumtonat unda.
 148 Nam qua se Zephyri sustollunt flabra, profundum
 149 Tyrrheni est pelagi ; qua se Notus erigit aethra,
 150 Sicanum late fluitat mare ; qua procul autem
 151 spirat ab eois pulcher regionibus Eurus,
 152 Ionii sunt terga sali. Sic Itala tellus
 153 a circumfuis latus amplum lambitur undis.
 154 Efflua post Siculi moles evolvitur alti,
 155 inque Notum late vada ponti caerula serpunt,
 156 donec harenosae se attollant aequore Syrtes,
 157 infidumque rati tenuent mare. Languida quippe
 158 aequore jam fesso sese trahit unda per ambas.
 159 Montibus ab Siculis capit autem prona meatum,
 160 Cretaeisque jugis mox Syrtes inter oberrat
 161 parciior, et tenui praetexens ima fluento.
 162 Rursus ab Idaea Salmonide porrigit aequor
 163 se geminum : nautae Pharium dixere profundum,
 164 quod procul in Casiae vergit confinia cautis ;

165 Sidoniique dehinc late salis aestuat unda,
 166 Issicus immodico donec sinus ore patescat ;
 167 aequoris et nostri sit terminus, arva ubi late
 168 pingua proceris Cilicum versantur aratris.
 169 Curva salo forma est : hinc sese marmora ponti
 170 in Zephyrum torquent ac flexu lubricus errat
 171 gurges, et exesas illabitur unda lacunas.
 172 Sic virosorum prolixa volumina sese
 173 sponte cerastorum facili sub viscere curvant ;
 174 sic spiras crebro sinuat draco, seque vel orbe
 175 colligit inclinans, vel pronis agmina longe
 176 tractibus absolvit ; stridet nemus undique totum,
 177 pestifero afflatu serpens vagus inquinat aethram.
 178 Haut secus illapso penetrantur litora fluctu,
 179 et rursus tellus init aequora : jugis ubique
 180 mugitus pelago est, gemitu loca cuncta resultant.
 181 Imminet huic late Pamphylia, subluit illic
 182 unda Chelidonias, illisum murmurat aequor,
 183 saepius et crebra spumescunt aequora rupe,
 184 terminus his cautis Patareidis eminent arcis.
 185 Ac rursus in Zephyrum vada semet caerulea curvant.
 186 Hinc salis Aegaei tractus tonat, inque Bootis
 187 plaustra dehinc rapidi flectuntur marmora Nerei,
 188 saxosis Sporadum saepe obluctantia ripis.
 189 Non aliud tanta consurgit mole profundum,
 190 non sic curva Thetis fluctu tumet : extimus olli
 191 in Tenedum cursus, pelagi caput incipit Imbro.
 192 Caespitis hinc proni protendens dorsa Propontis,
 193 flatibus ex Boreae tepidum procumbit in Austrum,
 194 immensaeque Asiae populos alit ubere terrae.
 195 Hinc artas inter fauces atque obvia saxa
 196 Thracius angustas discludit Bosphorus oras,
 197 Bosphorus Inachiae subvector virginis olim.
 198 Nam vicina sibi stant litora ; terraque parci
 199 faucibus oris hiat, pronam sinus evomit undam :
 200 proxima non alibi tantum divortia cernas
 201 caespitis ; hac pecoris cursu sternacis in aequor
 202 Inachis illata est ; sic pectus canduit ira,
 203 paelicis et tanto divam dolor extulit igni.
 204 Illic instabili fama est sale saxa moveri,
 205 inferrique sibi flabris urgentibus oras ;
 206 hic rigidas errare ferunt per marmora cautes,
 207 et nunc ora sali vastas praetendere rupes,
 208 nunc aperire sinum ; gemit amplo murmure pontus,
 209 seu quod collisas Thetis indignata per arces
 210 saeviat objectis ; seu quod brevis exitus undas
 211 exerat et strictis eructet faucibus aequor.
 212 Interius lato Pontus se gurgite fundit,
 213 undarumque procul latus explicat, aurea Phoebi
 214 qua rota purpureo repetit convexa sub ortu.
 215 Sic obliqua maris panduntur denique dorsa,
 216 ut matutinis inclinent aequora habenis,
 217 longior aut boreae concedat gurges in axem.
 218 Pontus enim nostrae sinus est amplissimus undae.
 219 Huic Asia ab laevis praecingitur Europamque
 220 excipit, adversusque dehinc se Thracius artat
 221 Bosphorus et tenui vix panditur oris hiatu
 222 at qua diducto Pontus distenditur aestu,

223 et porrecta mari terrae juga longius intrant
 224 in pelagus, tractuque vago sua litora linquunt,
 225 caespite Paphlagonum prodit saxosa Carambis.
 226 Altera se cautes similis procul arietis ori,
 227 dura pruinoso qua torpet Taurica caelo,
 228 exerit, et tenta late premit aequora fronte.
 229 Eminus ista Notum videt, Arctos eminus illa.
 230 Porro inter fluctus ac fusi marmora Ponti
 231 proxima celsorum sic sunt sibi dorsa jugorum,
 232 quamvis vasta sali moles interfluit arces,
 233 ut gemini sit forma maris. Sed brachia Pontus,
 234 finibus Arctoïis, eoae lucis in ortum,
 235 et qua prona dies atris involvitur umbris,
 236 molliter inclinans, Scythici speciem facit arcus ;
 237 at tepidi de parte Noti directior oram,
 238 continuumque jacens, rigidi sub imagine nervi
 239 tenditur ; excedit confinia sola Carambis
 240 in Borean vergens. Boreali rursus in arcto
 241 ore sinus patulo Maeotidis alta paludis
 242 aequora prorumpunt ; Scythia late barbarus oras
 243 incolit, et matrem Ponti cognominat undam.
 244 Sola parens Ponto, genetrix haec sola fluento est ;
 245 hoc se fonte trahunt vaga glauci marmora Ponti,
 246 Cimmerio prolapsa sinu ; nam Bosphorus illic
 247 Cimmerius fauces aperit ; circumque superque
 248 Cimmeris, gens dura, colunt. Hic ardua Taurus
 249 in juga consurgit, caelumque cacumine fulcit
 250 verticis, et celsis late caput inserit astris.
 251 Huc, mirante salo, quondam sese intulit Argo
 252 Thessala, et innantem stupuerunt aequora cumbam.
 253 Sic vasti moles pelagi interfunditur oras ;
 254 sic se forma maris toto procul explicat orbe.
 255 Nunc tibi tellurem versu loquar : incute docto,
 256 Phoebe, chelyn plectro. Musis intermina vita
 257 permanet, et memori laus semper pullulat aevo.
 258 Indefessa tuae sint mentis acumina, lector,
 259 sudorisque mei patulo bibe carmina rictu :
 260 dulcis in his haustus, meritum grave, gratia perpes.
 261 Ergo solum terraeque Libystidis ora per Austrum
 262 tenditur, eoae procul in confinia lucis.
 263 Gades principium est ; caput hujus caespitis autem
 264 artius angusto conducit litora tractu,
 265 Oceanique salum cuneo subit : istius orae
 266 terminus immensis Arabum concluditur undis.
 267 At latus hoc terra diffusius explicat agros,
 268 arvaque tenta patent. Haec pingui caespite tellus
 269 Aethiopum est nutrix, qui nigros propter Erembas
 270 extremi Libyae curvo sola vomere sulcant ;
 271 et rursus Aethiopes soli subjecta cadenti
 272 arva tenent. Sic scissa virum gens ultima terrae
 273 incolit : hos afflant rutilae incunabula lucis ;
 274 hi jam praecipitis terrentur solis habenis.
 275 Propter proceras Zephyri regione columnas
 276 Mauri habitant ; his fluxa fides et inhospita semper
 277 corda rigent ; trahitur duris vaga vita rapinis.
 278 Proxima se late Numidarum pascua tendunt,
 279 Massyllique super populi per aperta locorum
 280 palantes agitant. Certi laris inscia gens est ;

281 nunc in dumosas erepunt denique rupis,
 282 nunc quatiunt campos, nunc silvas inter oberrant
 283 conjugibus natisque simul ; cibus aspera glando
 284 omnibus ; haud ollis sulcatur caespes aratro ;
 285 non his mugitus pecudum strepit. Inclyta post hos
 286 moenia consurgunt Tyriae Carthaginis : illa
 287 urbs Phoenissa prius, Libyci nunc ruris alumna,
 288 paci blanda quies, et bello prompta cruento.
 289 Ast hinc in Syrtim praeceps ruit unda minorem,
 290 ulteriusque dehinc qua lux se reddit Olympo,
 291 major vasta sibi late trahit aequora Syrtis,
 292 infidumque rati pelagus furit : ardua quippe
 293 undarum moles Tyrrheno cogitur aestu,
 294 curvatumque salum quatit amplo litora fluctu ;
 295 ecce alias lento prorepat gurgite Nereus,
 296 undaque vix tenuis siccas praetexit harenas.
 297 Immemor ergo modi semper natura duabus
 298 Syrtibus, et classem sors crebro caeca fatigat.
 299 Ambarum medio procera Neapolis arcem
 300 surrigit : hanc rursus gens late prisca virorum
 301 Lotophagi includunt ; diros Nasamonas at inde
 302 aspice, quis quondam populorum examina multa
 303 versavere solum, multo sonuere per agros
 304 balatu pecudes. Nunc lati jugera campi
 305 et grege nuda jacent et sunt cultoribus orba.
 306 Ausonis haec duro vastavit dextera bello :
 307 Ausonis invicti gens roboris una per orbem
 308 arma tulit ; pubem Latiam ferus horruit Hister,
 309 Romanas aquilas Rhodanus tremit, Italidum vi
 310 maesta paludivagos Germania flevit alumnos.
 311 Illi caeruleas attingunt aequoris undas ;
 312 at qua navigero tellus discedit ab aestu,
 313 innumerae gentes, populorum examina mille
 314 arva tenent. Hic fata canit venerabilis Hammon,
 315 mugit harenosis nemus illic denique lucis.
 316 Astat Cyrene propter vetus, erigiturque
 317 urbs procera arces, et Apolline dives alumno.
 318 Marmaridae juxta ; procul hi tamen ultima regni
 319 Aegypto inclinant ; tergo Gaetulia glebam
 320 protinus hinc Garamas late confinia tendit,
 321 trux Garamas, pedibus pernix, et harundinis usu
 322 nobilis ; at quantum terrarum interna recedunt,
 323 ut procul Oceano tellus vicina madescat,
 324 Aethiopum populos alit ampli caespitis ora,
 325 terminus Aethiopum populos adit ultima Cerne.
 326 Post Blemyes medii succedunt solis habenas,
 327 corpora proceri, nigri cute, viscera sicci,
 328 et circumvincti nervis exstantibus artus.
 329 Hi celeri molles currunt pede semper harenas,
 330 nec tamen impressae linqunt vestigia plantae.
 331 Eminus evolvunt hinc sese pingua Nili
 332 flumina, et intenti prolabitur aequoris unda.
 333 Hic qua secretis incidit flexibus agros,
 334 Aethiopum lingua "Siris" ruit ; utque Syenen
 335 caerulus accedens diti loca flumine adulat,
 336 nomine se claro "Nilum" trahit, inque jacentem
 337 Aegyptum fusus fluctu premit arva marito,
 338 fecundatque solum ; procul illinc agmina cogit

339 in Borean, scissusque vagis amfractibus aequor
 340 non olli compar quisquam fluit, inclyta quamquam
 341 undique se totis eructent flumina terris.
 342 Nilus enim immensos vitam dispergit in agros,
 343 et fovet invecto sata gurgite ; Nilus honorem
 344 telluri reparat ; Nilus freta maxima pellit.
 345 Hic Asiam ab Libya disternat, axe Favoni
 346 secernens Libyam ; redeuntis solis ab ortu
 347 disjungens Asiae medio confinia fluctu.
 348 Nec procul illa virum gens incolit, axibus olim
 349 quae prior humanas leges et jura notavit,
 350 vomere quae duro, quae longi pondere aratri
 351 sollicitavit humum, quae fetus edere sulcis
 352 tellurem docuit, quae caedens partibus aethram
 353 prodidit obliquo solem decurrere caelo.
 354 Istius ergo tibi formam regionis et oras
 355 expediam versu. Blandus praetenditur aer,
 356 prodigus herbarum caespes jacet, aspera nusquam
 357 culmina consurgunt, portus cavat ora frequentis.
 358 Quidquid terra dehinc redeuntis sufficit anni
 359 tempore, prae cunctis stupeas specieque modoque.
 360 Trina loco frons est, sed laxior axe Bootis,
 361 luce sub eoa constrictior, usque Syenen
 362 tenditur, unde pii volvuntur flumina Nili.
 363 Hic urbs est Thebae, Thebae quae moenibus altis
 364 praecinxere larem : Memnon ubi Tithoneus
 365 suspectat roseas Aurorae matris habenas.
 366 Pars quae coeano discedit ab aequore, septem
 367 oppida sustentat : notiam pars vergit in oram,
 368 et modus est olli Serbonidis alta paludis ;
 369 altera pulsatur genitalibus ore Favoni.
 370 Hic urbem posuit Pellaeae dextera gentis ;
 371 hic inter celsas late surgentia nubes
 372 templa Sinopaei Jovis astant nixa columnis,
 373 divite saxorum circumvestita metallo,
 374 auro fulta gravi, niveo radiantia dente.
 375 Nec minus hic speculae vertex subducitur, ex quo
 376 cernere sit longe Pallenidis intima terrae.
 377 At qua surgenti terrae pars conscia Phoebos est,
 378 aggere murorum Pelusia moenia surgunt.
 379 Gens hic docta sali tumido freta gurgite currit,
 380 inque procellosos lembum convertere fluctus
 381 ludum habet, et rauca vitam producit in unda.
 382 Talis forma jacet Libyae, talique recessu
 383 ab Zephyro Eoum tellus incumbit in axem.
 384 Istius extenti sola caespitis undique sulcant
 385 gentes innumerae, quae sparsae litore longo
 386 Oceani australis vada late caerulea tangunt ;
 387 et quae multimodis media tellure agitantes
 388 arva domant, et quae Tritonidis alta paludis
 389 ut circumfuso populorum examine cingunt.
 390 Nunc tibi et Europae favor latus ; haec, ubi terras
 391 intrat Atlantei vis aequoris, accipit ortum.
 392 Unus utramque sali fluxus secat, et procul unum
 393 distinet os ambas : eadem insinuatio ponti
 394 Europam et Libyam rapido disternat aestu.
 395 Sed prior illa tamen tepido perfunditur Austro,
 396 haec subit insanos tergum curvata aquilones.

397 Ambae Asiam rursum simili sub limite tangunt :
 398 aequus utrimque modus protenditur ; at simul ambas
 399 si conferre sibi quisquam velit, una parumper
 400 ut credatur humus, mediique interflua ponti
 401 subtrahat, extemplo, quali nux pinea forma est ;
 402 singula versanti talis succedet imago
 403 Europae et Libyae : sic nam latus explicat ambas,
 404 unum et utrique caput, similis quoque finis utrique
 405 sed tamen Hesperii qua spectant aequoris undam,
 406 ambae producto coeunt sibi caespite terrae ;
 407 qua matutinis sol istas ignibus afflat,
 408 latior ambabus species distenditur. Unum
 409 hoc agili sub mente tenens, velut obvia habebis
 410 cetera terrarum. Tellus Europa columnis
 411 proxuma magnanimos alit aequo caespite Hiberos.
 412 Hi super Oceani Borealis frigida tangunt
 413 aequora, et excursu diffusi latius agri
 414 arva tenent, duris nimium vicina Britannis ;
 415 flavaque caesariem Germania porrigit oram,
 416 dumosa Hercyniae peragrans confinia silvae.
 417 Inde Pyrenaei turgescunt dorsa nivalis,
 418 Gallorumque truces populi per inhospita terrae
 419 vitam agitant ; tum caeruleum Padus evomit antro
 420 hic prius Heridani propter nemorosa fluenta
 421 fleverunt liquidae lapsum Phaethonta sorores,
 422 mutataeque manus planxerunt pectora ramis.
 423 Nec procul hinc rigidis insurgunt rupibus Alpes,
 424 nascentemque diem celso juga vertice cernunt.
 425 Porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus,
 426 vertice qua nubes nebulosus fulcit Adulas,
 427 urget aquas glaucoque rapax rotat agmine molem
 428 gurgitis, Oceani donec Borealis in undas
 429 effluat et celeri perrumpat marmora fluctu.
 430 Quin et Danubium produnt secreta repente
 431 barbara, sed discors tamen est natura fluento.
 432 Abnoba mons Histro pater est : cadit Abnobae hiatu
 433 flumen ; in eos autem convertitur axes,
 434 Euxinoque salo provolvitur ; ora per aequor
 435 quinque vomunt amnem, qua se procul insula Peuce
 436 exerit : hunc rigidi qua spirant flabra Aquilonis,
 437 Sarmata, Germani, Geta, Basternaeque feroces,
 438 Dacorumque tenent populi, tenet acer Halanus,
 439 Incola Taurisci Scythia litoris ; indeque rursum
 440 dira Melanchlaeni gens circumfusa vagatur.
 441 Proxima Neurorum regio est, celeresque Geloni,
 442 praecinctique sagis semper pictis Agathyrsi.
 443 Inde Borysthenii vis sese fluminis effert
 444 Euxinum in pelagus : tunc aequora Panticapaei
 445 ardescique tibi celso de vertice surgunt
 446 Rhipaei montis, ubi dura saepe sub Arcto
 447 densa pruinosa eructant nubila nimbos.
 448 Hic dites venae niveum gignunt crystallum ;
 449 adque hic indomito tellus adamante rigescit
 450 inter Riphaeos et proceros Agathyrsos.
 451 Haec gentes Histrum, qua se plaga dura Bootis
 452 porrigit, incumbunt : medii de parte diei
 453 per dumosorum reptantes dorsa jugorum
 454 Gerrhae habitant. Gerrhas attingunt oppida late

455 Norica, et immodicae rursus sola pingua glebae
 456 Pannonia exercet. Borean subit altior agro
 457 Moesus, et extento post tergum caespite Thracas
 458 plurimus excedit : tunc ipsi maxima Thraces
 459 vomere sollicitant curvo loca : denique longo
 460 qua porrecta jacet spatio piscosa Propontis,
 461 et qua praecipiti fluctu furit Hellespontus,
 462 Aegaeumque dehinc procul in mare, plurima Thraces
 463 arva tenent : hic mellifluis Pallena sub antris
 464 Lychnitis rutilae flammis alit ; hic et iaspis
 465 fulva micat stellis, quantum convexa per aethrae
 466 ignea perpetuis ardescunt sidera flammis.
 467 Hic rursus occiduis Europam fabor ab oris.
 468 Haec tamquam speculis adsurgens plurima trinis,
 469 spectat Achaemeniae lucis jubar : unus Hiberos
 470 limes habet, limes tenet alter denique Graios,
 471 Ausoniae medius protendit latius arva.
 472 Oceani vicina salo qua gleba recumbit,
 473 Oceani Hesperii, tumet illic ardua Calpe ;
 474 hic Hispanus ager, tellus ibi dives Hiberum ;
 475 Tartesusque super sustollitur ; indeque Cempsii,
 476 gens agit, in rupis vestigia Pyrenaeae
 477 protendens populos. Medio se limite gleba
 478 Ausonis effundit ; mediam secat Appenninus
 479 Ausoniam ; nam qua boreali vertice ad aethra
 480 concresecunt Alpes, surgit caput Appennino ;
 481 et qua Sicani tellus madet aequoris aestu,
 482 ut protelatae molis juga gurgite condit.
 483 Huic circa multae sola sulcant proxima gentes ;
 484 et tamen has omnes solers tibi Musa loquetur.
 485 Prima vetustorum gens est ibi Tyrrhenorum ;
 486 inde Pelasga manus, Cyllenae e finibus olim
 487 quae petit Hesperii freta gurgitis, arva retentat
 488 Itala ; tum multa tenduntur parte Latini,
 489 per quos flaventis Tybris pater explicat undas,
 490 Romanosque lares lapsu praelambit alumno.
 491 Hinc Campanus ager glebam jacet : hic freta quondam
 492 Parthenopen blando labentem in marmora ponti
 493 suscepere sinu ; tepidum si rursus in Austrum
 494 convertare oculos, nemorosi maxima cernes
 495 culmina Piceni ; coma largi palmitis illic
 496 tenditur ac fuso Bacchus tegit arva flagello.
 497 Tunc Lucanorum regio insurgentibus alte
 498 cautibus horrescit : scrupus sola creber iniqua
 499 asperat, et denso caecantur stipite silvae.
 500 Britius hinc dumos acer colit inter et arces
 501 intendant pelagus, displosisque aequora terris
 502 instabile inclinent semper mare, qua vel eo
 503 Hadrias unda vadis largam procul expuit algam,
 504 vel qua Tyrrheni praeceps involvitur aestus.
 505 Ad Zephyri hinc rupes dorsum tumet inque Bootis
 506 plaustra patens albo consurgit vertice saxum.
 507 Huc se prisca Locri gens intulit et sale longo
 508 eminus invecti, qua pontum gurgite rumpit
 509 flumen Alex, Graiae rexerunt lintea cumbae.
 510 Hinc Metapontini discurrunt latius arvo ;
 511 inde Croton priscis attollit moenia muris :
 512 Aesarus hic amnis salsa convertitur unda,

513 et Junone calent hic arae praesule semper.
514 Nec minus exciti post flumina dira Tonantis
515 infortunatae Sybaris vicina ruina est.
516 Samnitaequae truces habitant confinia ; post hos
517 gens Marsum quondam tenuit loca ; tumque Tarentum
518 surgit, Amyclaei suboles praedura tyranni.
519 Hinc jacet in patulos projecta Calabria campos,
520 et super arenti tenduntur Iapyges agro.
521 Huc se praecipiti cogit ferus Hadria ponto.
522 Hic Aquileia decens celsis caput inserit astris ;
523 Tergestumque dehinc curvi salis incubat oram,
524 extimus Ionii qua se sinus aequoris abdit.
525 Tot populi Ausoniam circumdant moenibus altis,
526 Italiam cingunt tot diti caespite gentes.
527 In jubar eorum rursus se pervia flectunt
528 aequora et Assyrium suspectant eminus axem
529 Ionii freta glauca sali ; primosque Liburnos
530 praestringunt pelago ; gens Hylli plurima rursus
531 accolit ; hic tenui tellus discluditur aestu.
532 Illyris ora dehinc distenditur : hicque periclis
533 saepe carinarum famosa Ceraunia surgunt.
534 Tum prorepentis qua sunt vada turgida Nerei,
535 Harmoniae et Cadmi sustentat gleba sepulchrum
536 barbara : nam longo jactati saepius orbe,
537 postquam liquerunt Ismeni fluminis undam,
538 hic in caeruleos mutati membra dracones
539 absolvere diem finemque dedere labori.
540 Nec minus hic aliud monstri genus arbiter aethrae
541 edidit : adsistunt scopuli duo, cumque quid atri
542 imminet eventus, ut vulgi corda fatiget
543 sors rerum, et gentes terat inclementia fati,
544 et motantur humo et coeunt sibi vertice saxa.
545 Sed qua mitis item spirat Notus Oriciumque
546 pulsant flabra solum, Graiae confinia terrae
547 incipiunt aperire latus, proluxaque longis
548 jugera producunt spatiis, praecineta duobus
549 aequoris infusi procursibus ; hanc freta quippe
550 Aegaei lambunt pelagi ; citus Hadria rursus
551 subluit hanc fluctu ; gemino sic gurgite late
552 Graia madet tellus, sortitaque marmora ventos
553 quaeque suos, imo turgescunt mota profundo.
554 Eurus in Aegaeum contorquet flabra ; cadentis
555 parte poli Zephyris Hadriatica terga tumescunt.
556 Insula se rursus Pelopis visentibus offert,
557 insula quae platani folio compar sedet. Isthmi
558 quippe caput summum conducitur, artaque vergit
559 in Borean tellus, et Graios adjacet agros.
560 Cetera sub folii specie distenditur arva
561 ac per utrumque latus sinuoso saepe recedit
562 caespite ; sed tepido qua tellus tunditur austro,
563 Graiorum Triphylis sterili se porrigit ora.
564 Hinc sacer Alpheus flumen trahit et vagus aequor
565 influit Eurotas. Pisanos alter adulat,
566 alter Amyclaeas celeri secatur agmine terras.
567 Insula qua curvas inclinat concava valles,
568 Arcades immensum propter degunt Erymanthum.
569 Hic distentus aquas sata lambit pinguis Ladon.
570 Juxta Argivus ager, juxta sunt culta Laconum ;

571 illos prima dies, celer istos aspicit auster.
 572 Isthmi terga dehinc geminus circumlatrat aestus,
 573 parte Ephyres, piceas qua nos agit atra tenebras,
 574 et matutinus qua lucem proserit ortus.
 575 Hic usu Graio nomen tenet unda Saronis.
 576 Atticus hanc ultra limes jacet, Attica tellus
 577 belligeratorum genetrix memoranda virorum.
 578 Fertilis haec herbis Illisum subvehit amnem :
 579 Illissi boreas stagno tulit Orithyiam.
 580 Boeotumque dehinc sese confinia jungunt,
 581 et Locris, et patuli sulcator Thessalus agri,
 582 et Macetum praepingue solum ; tumet arduus Hemus,
 583 Threiciumque caput subducitur ; adjacet Hemum
 584 partibus ab Zephyri Dodonae vatis alumnus.
 585 Axe Noti rigidas subter rupes Aracynthi
 586 gens Aetola colit ; campis ibi pulcher apertis
 587 labitur, et virides sulcans terras Achelous
 588 irruit Hadriaci tergum maris ; hicque frequentes
 589 fluctibus attolluntur Echinades ; haud procul inde
 590 prisca Cephallenae consurgunt oppida terrae.
 591 Delphica quin etiam miscet confinia Phocis,
 592 lucis in exortum protentior ; inque Booten
 593 Thermopylae cedunt. Hic se Parnasia rupes
 594 erigit ; hic celeri Cephisus volvitur unda ;
 595 hic quondam Python transactus harundine membra,
 596 sanguinis et cassus prolixa volumina solvit.
 597 Illic saepe deum conspeximus arridentem,
 598 inter turicremas hic Phoebum vidimus aras.
 599 Nunc ut quaeque vago surrexerit insula ponto,
 600 ordine quo steterint pelago circumflua saxa,
 601 expediam. Cumbae ducatur cursus ab unda
 602 gurgitis occidui. Precor, aspirate, Camenae,
 603 inter et oppositas intendite lintea terras.
 604 Gadir prima fretum solida supereminet arce
 605 attollitque caput geminis inserta columnis.
 606 Haec Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco,
 607 Tartesumque dehinc Tyrii dixere coloni ;
 608 barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat :
 609 Poenus quippe locum "gadir" vocat undique saeptum
 610 aggere praeducto. Tyrii per inhospita late
 611 aequora provecti, tenuere ut caespitis oram,
 612 constituere domus ; dant hi quoque maxima templa
 613 Amphitryoniadae, numenque verentur alumnum.
 614 Insula se propter Gymnesia tollit ab alto,
 615 ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus,
 616 Sardiniaeque arces, et inhorrens Corsica silvis ;
 617 Aeolidesque dehinc tumidis se fluctibus edunt
 618 insulae et inserto canescunt undique ponto.
 619 Has dudum tenuit rex Aeolus : Aeolus illic
 620 hospita jactatis indulisit litora nautis ;
 621 Aeolus imperio summi Jovis arbiter alto
 622 impositus pelago est, effundere carcere ventos
 623 et sedare salum. Septem sese aequoris aestu
 624 emergunt arces ; celsam rex Aeolus aulam
 625 hic habuit. Tunc Ausoniam se pandit in oram
 626 tellus Trinacria et patulo distenditur agro.
 627 Haec autem trinis laterum procursibus astat
 628 ternaque caeruleis longe juga porrigit undis.

629 In matutinos Pachynos producitur ortus :
 630 pars tepet ab Zephyro Lilybeia ; celsa Peloris
 631 tota sereniferae pulsatur flatibus Ursae.
 632 Hic iter infidum pelagi miserandaque fata
 633 involvere salo fluctuque hausere voraci
 634 saepe ratis. Urgent angustae marmora fauces
 635 artaque praecipitant properum confinia pontum.
 636 Qua se parte dehinc celsae Notus erigit aethrae,
 637 vis late Libyci furit aequoris. Una ibi Syrtis ;
 638 ast aliam ulterius freta prolabantia tendunt,
 639 parvaque caeruleo circumsonat aequore Meninx.
 640 Rursus in Hadriacam lembum cogentibus undam,
 641 et laevum curva pelagus sulcantibus alno,
 642 insula se Grai Diomedis gurgite promit,
 643 Italiam spectans et Iapygis arva coloni.
 644 Huc illum motae quondam tulit ira Diones,
 645 postquam per celeres extorrem traxit Hiberos ;
 646 conjugis huc dirae misit furor Aegialiae.
 647 Ionii siquis rate rursus caerulea currat
 648 aequora, et eos cumbam producat in ortus,
 649 Absyrty cautes et crebras protinus arces
 650 inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque
 651 extulit, insanam sectantes Aetinen.
 652 Nec procul Ionii per terga Libyrnides astant.
 653 Inque Notum post dira Ceraunia carbasa siquis
 654 torqueat et tepidos lembum declinet in axes,
 655 Ambraciotarum succedent protinus arces ;
 656 Alcinoique domus pandetur Cercyra rursus,
 657 Cercyra compta solum, locupletis Cercyra sulco.
 658 Hanc super est tellus, Ithaci vetus aula tyranni,
 659 exulis et toto raptati saepe profundo.
 660 Plurima praeterea consurgunt gurgite saxa,
 661 quae protentus aquas Achelous pulcher oberrat ;
 662 Amnisusque dehinc alias circumfluit unda,
 663 quae tamen in Borean vergunt magis ; Aegila parva
 664 et procera caput turgescunt pulchra Cythera ;
 665 eminent hic etiam saxosa Calauria juxta ;
 666 Carpathus hic rupes attollitur ; haec tamen axem
 667 respicit occiduum. Nutrix hic Creta Tonantis,
 668 multa latus, glebamque ferax et opima virentum
 669 erigitur pelago. Cretam super astitit Ida,
 670 Ida procellosis agitans aquilonibus ornos.
 671 Nec procul Aegyptum Rhodus adjacet, adjacet oram
 672 Suniados, qua se protendit caespes Abantum,
 673 fertilis Aeginae tellus, et opima Salamis.
 674 Lucis ab exortu, Pamphylia qua cavat aestum
 675 prolabantis aquae, Cyprus alta cingitur unda,
 676 adque Dionaei pulsatur litoris acta.
 677 Inde Chelidoniae tris sese gurgite tollunt,
 678 qua frons tenta salo Patareidis eminent arcis.
 679 Laeta dehinc Aradus Phoenicum praejacet oram,
 680 multus ubi exesae sinus est telluris ab alto,
 681 ac latus omne soli procul in dispendia cedit
 682 litoris et curvo praelambitur ora fluento.
 683 Mirus at ille dehinc Aegaei gurgis habetur
 684 qui gemina de parte sali velut ordine fisso
 685 saxa mari profert circumflua, tenuia sese
 686 arta praecipitant Athamantidis incluta leto,

687 Sextus ubi atque Abydus parvo sale discernuntur,
 688 et vicina sibi lambit confinia pontus.
 689 Pars procul Europae laevum latus, altera porro
 690 ditem Asiam spectat ; cunctae tamen ordine facto
 691 insulae in Arctoi procedunt plaustra Bootis.
 692 Europam incumbit prolixus limes Abantum.
 693 Scyrus ibi late dorsum tumet, ac Peparethum
 694 protollit pelagus. Juxta Vulcania Lemnos
 695 erigitur, Cererique Thasus dilecta profundo
 696 proserit albenti se vertice ; prominet Imbrus,
 697 Thressaque consurgit propter Samus ; indeque rursum
 698 Cyclades accedunt Asiam Delumque coronant.
 699 Omnes fatidico curant sollempnia Phoebo.
 700 Nam cum vere novo tellus se dura relaxat
 701 culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo,
 702 gens devota choros agit gratique sacrato
 703 ludunt festa die : visit sacra numen alumnum.
 704 Hinc Sporades crebro producunt caespitem sese
 705 densa serenato ceu splendent sidera caelo.
 706 Nec minus attolluntur Ionides insulae ab alto.
 707 Hic juxta Caunus, Samus hic Saturnia juxta,
 708 tumque Chius patulae prospectans arva Pelinae.
 709 Lesbus item et Tenedus per aperti marmora ponti
 710 expediunt arces et culmina nubibus indunt.
 711 Hinc se piscosi pandit sinus Hellesponti ;
 712 hic salis arctoi spumas vomit impiger aestus ;
 713 hic protenta quatit late freta glauca Propontis.
 714 Siquis laeva dehinc Euxini marmora sulcet
 715 ora Borysthenii qua fluminis in mare vergunt,
 716 e regione procul spectabit culmina Leuces ;
 717 Leuce cana jugum, Leuce sedes animarum :
 718 nam post fata virum semper versarier illic
 719 insontes aiunt animas, ubi concava vasto
 720 cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt
 721 molibus exesis et curvo fornice pendent.
 722 Haec sunt dona piis ; sic illos Juppiter imis
 723 exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus.
 724 Rursum Cimmericus qua Bosphorus ora patescit,
 725 dexterio ponto subit insula vasta que late
 726 excedit moles pelagus : sedet eminus ingens
 727 Phaenagore, et muros attollitur Hermonassa.
 728 Haec maris infusi consurgunt insulae ab alto.
 729 Exterior quis unda dehinc circumfluus et quis
 730 aestuet Oceanus, quibus illae flatibus omnes
 731 culmina pulsantur, memores date carmine Musae.
 732 Propter Atlantei tergum salis Aethiopum gens
 733 Hesperides habitant ; dorsum tumet hic Erythiae
 734 hicque Sacri ; sic terga vocat gens ardua montis
 735 nam protenta jugum tellus trahit : hoc caput amplae
 736 proditur Europae. Genetrix haec ora metalli
 737 liventis stagni venas vomit ; acer Hiberus
 738 hic freta veloci percurrit saepe phaselo.
 739 Eminus hic aliae gelidi prope flabra aquilonis
 740 exsuperant undas et vasta cacumina tollunt.
 741 Hae numero geminae, pingues sola, caespitis amplae,
 742 conditur occidui qua Rhenus gurgitis unda,
 743 dira Britannorum sustentant agmina terris.
 744 Hic spumosis item ponti liquor explicat aestum,

745 et brevis e pelago vertex subit ; hic chorus ingens
 746 producit noctem ludus sacer : aera pulsant
 747 vocibus, et crebris late sola calcibus urgent.
 748 Non sic Absynthi prope flumina Thracis alumnae
 749 Bistonides ; non qua celeri ruit agmine Ganges
 750 Indorum populi stata curant festa Lyaeo.
 751 Longa dehinc celeri siquis rate marmora currat,
 752 inque Lycaonias cumbam procul urgeat Arctos,
 753 inveniet vasto surgentem vertice Thulen.
 754 Hic cum Plaustra poli tangit Phoebius ignis,
 755 nocte sub illustri rota solis fomite flagrat
 756 continuo, clarumque diem nox aemula ducit.
 757 Nam sol obliquo torquetur cardine mundi
 758 directosque super radios vicinior axi
 759 occiduo inclinat, donec juga rursus anhela
 760 devexo accipiat caelo Notus. Inde fluenta
 761 tenduntur Scythici longe maris in facis ortum
 762 Eoae ; tum coeaneis erepit ab undis
 763 insula, quae prisca signatur nominis usu
 764 Aurea, quod fulvo sol hic magis orbe rubescat.
 765 Contemplator item ceu se mare flectat in Austrum,
 766 inque Notum Oceanus freta ponti caerulea curvet ;
 767 altaque Coliadis mons hic tibi dorsa patescent
 768 rupis et intenti spectabis caespitis arces.
 769 Pro quibus ingenti consistens mole per undas
 770 insula Taprobane gignit taetros elephantos
 771 et super aestiferi torretur sidere Cancri.
 772 Haec immensa patet, vastisque extenditur oris
 773 undique per pelagus ; latus autem protinus olli
 774 agmina cetosi pecoris, vaga monstra profundi,
 775 alludunt : fervent Erythraei marmora ponti
 776 tota feris ; haec, ut rigidi juga maxima montis,
 777 nubibus attollunt latus omne et terga tumescunt ;
 778 instar in his rupis spinae tenor arduus astat,
 779 molibus in celsis scrupus quoque creber inhorret.
 780 A ! nequis rapidi subvectus gurgitis unda
 781 haec in terga sali lembum contorqueat umquam
 782 a ! ne monstrigenis, hostem licet, inferat aestus
 783 fluctibus ! immodici late patet oris hiatus
 784 quippe feris, antro panduntur guttura vasto ;
 785 protinus haec ipsas absorbent fauce carinas,
 786 involvuntque simul mox monstra voracia nautas.
 787 Ogyris inde salo promit caput, aspera rupes,
 788 Carmanis qua se pelagi procul invehit undas ;
 789 regis Erythraei tellus haec nota sepulchro
 790 tenditur et nudis juga tantum cautibus horrent.
 791 Persicus hinc aestus fauces hiat ; insula rursum,
 792 si tamen in Borean flectantur carbasa cumbae,
 793 Icarus aereo consurgit vertice in auras,
 794 Icarus ignicomo Soli sacra ; namque Sabaei
 795 turis ibi semper vaga fumum nubila volvunt.
 796 Insulae in Oceani procursibus hae tibi tantum
 797 carmine sunt dignae ; multas vehit undique pontus
 798 praeterea, parvas specie, famaue carentia ;
 799 pars Asiam, Libyam pars adjacet altera ponto,
 800 pars videt Europam ; non has tamen aut modus orae,
 801 aut interna cavi commendat vena metalli.
 802 Harum aliae duris reserant vis litora nautis

803 et scaber in multis scrupus riget ; undique iniquus
804 surrigitur vertex, et inhospita caespitis ora est.
805 Harum quis valeat numerosa ut nomina fari ?
806 Si velit hoc ullus, velit idem scire quot alto
807 curventur fluctus pelago, quot sidera caeli
808 educant flammis, quot robora proferat Ida,
809 quantus harenarum numerus versetur ab Euro.
810 Carmine nunc Asiam formet stilus. Incute doctam,
811 Phoebe, chelyn ! Totis Helicon aspiret ab antris.
812 Maxima pars orbis narrabitur ; inclyta tellus
813 prometur Mysis. Terrarum summa duarum
814 unius est limes, quae caespite protegit ambas.
815 Vastius ast Asiae diti caput, indeque sensim
816 in matutinos oram conducitur axes.
817 Hic astare procul Bacchi fert fama columnas,
818 ultimus Oceani qua terras alluit aestus,
819 Indica qua rupes tumet extima, quo vaga Ganges,
820 caespite dorsa trahens in Nysaeum Platamona
821 porrigitur. Similis nequaquam est forma duabus,
822 nec modus est compar : secatur unus denique pontus
823 Oceanus, trinoque sinu vagus influit aestus
824 unam Asiae molem : sinus istam Persicus intrat,
825 maximus hanc Arabum scindit sinus, et sinus aequor
826 inserit Hyrcanus : duo nigri partibus Austri
827 curvantur, rigidam suspectat tertius Arcton ;
828 hic et in Euxini prorepat marmoris undam
829 et Zephyrum tergo spectat procul. Adjacet ambos
830 tellus multa dehinc, et longis tenditur arvis.
831 Ast Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus,
832 interstatque jugo mediam, Pamphylia campo
833 qua jacet, incipiens, ac verticis ardua ducit
834 Indorum in pelagus ; nunc autem surrigit idem
835 obliquas arces et flexilis aera pulsat ;
836 nunc directa solo tentus vestigia figit.
837 Mille dehinc amnes unus vomit, exerit unus
838 flumina per terras, vel qua riget ora Bootis,
839 vel qua lene Notus spirat, qua perstrepat Eurus,
840 et qua dejecto Zephyrus sustollitur axe.
841 Nec tamen hic uno signatur nomine ubique ;
842 sed dum flectit iter, novus emicat, utque tumentis
843 gens vicina subest, peregrina vocabula mutat.
844 Accipe qui populi circumdant denique Taurum.
845 Maeotae primi salsam cinxere paludem.
846 Obversatur item trux Sarmata, bellica quondam
847 gentis Amazonidum suboles ; nam cum prius illae
848 egissent vasti prope flumina Thermodontis
849 Threicio de Marte satae, junxere profectae
850 concubitus. Longas exercet Sarmata silvas
851 ex quibus elapsus Tanais procul arva pererrat
852 barbara, et in salsam protendit terga paludem.
853 Hic Asiam Europa disternit. Arduus istum
854 Caucasus eructat : Scythicos hic fusus in agros
855 impacatorum nutrit pubem populorum.
856 Hujus utrumque latus quatit amplis bruma procellis
857 constrictumque tenent hunc frigora. Proxima rursus
858 Cimmerii Sindique colunt : Cercetia gens est
859 adque Toretarum propter genus : indeque Achaei,
860 ab Xanthi ripis atque Idaeo Simoente,

861 inter cauricrepas et scruposas convallis,
862 transvexere larem. Juxta gens aspera degit
863 Eniochi, Zygique dehinc, qui regna Pelasgum
864 linquentes, quondam tenuerunt proxima Ponti.
865 Impiger hos propter Colchus colit ; iste feraci
866 exul ab Aegypto celsae serit aspera rupis.
867 Caucasus Hyrcanae nimium conterminus undae
868 hujus valle procul Phasis gemit, istius antro
869 agmina provolvit, Circaeaque lapsus in arva
870 incidit, Euxinum. Borealis cardine caeli
871 rursus in eoae lucis confinia tellus
872 inclinata jacet, gemino vicina profundo :
873 Caspia nam late terram super alluit unda,
874 Euxinique subest tergum salis. Asper Hiberus
875 hic agit : hic olim Pyrenide pulsus ab ora
876 caespitis eoi tenuit sola, ceu vaga saepe
877 fors rapit exactos patria. Tenet aequora campi
878 gens Camaritarum, qui post certamina Bacchum
879 Indica Bassaridum cum duceret agmina victor,
880 acceperere casis mensasque dedere Lyaeo ;
881 orgia ludentes et nebride pectora cincti
882 deduxere choros, Nysaei ludicra ritus.
883 Hos super in fluctus adsurgit Caspia Tethys.
884 Haec dicenda mihi. Nec diri gurgitis umquam
885 lustravi pinu freta barbara, nec vagus orbem
886 undique reptavi ; sed vasti flumina Gangis,
887 Caucaseas arces et dumicolas Arienos
888 incentore canam Phoebos Musisque magistris
889 omnia veridico decurrens carmine pandam.
890 Caspia per teretes Tethys distenditur oras,
891 et sinuant curvis hanc totam litora terris.
892 Tantum sed fuso pontus jacet iste profundo,
893 ut ter luna prius repararet facis incrementa,
894 quam quis caeruleum celeri rate transeat aequor.
895 Gurgitis Oceanus pater est ; namque iste nivalis
896 axe Helices infert rapidi freta concita ponti,
897 et sinus inde sibi pelagus trahit ; hic vada propter
898 Caspia versatur Scythia belliger, hicque feroces
899 degunt Albani ; trux illic arva Cadusus
900 dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Apyrique.
901 Caespitem vicino Mardus fluit et procul ipsos
902 accedit Bactros ; attingens denique atroces
903 agmine Dercebios, medius disternat ambos,
904 Hyrcanique salis tumido convolvitur aestu.
905 Sed Bactrena solo vasto procul arva recedunt,
906 Parnassique jugi tegitur gens rupibus illa ;
907 Dercebios aliud cohibet latus et vada tangit
908 Caspia. Tum clari pharetris agilique sagitta
909 Massagetarum rauci succedunt flumen Araxis ;
910 durum ab stirpe genus, placidae mens nescia vitae,
911 ignorant flavae Cereris commercia, Bacchi
912 semper inexpertes animam traxere ferinam.
913 His cibus et potus simul est : nam sanguem equinum
914 et lac concretum per barbara guttura sorbent.
915 Nec procul ad Borean diri posuere Chorasmii
916 hospitia, et juxta protendit Sugdias agros,
917 Sugdias, ingenti quam flumine dissicit Oxus.
918 Hic procul Hemodi late ruit aggere montis,

919 et per prolixos evectus protinus agros
 920 Caspia propellit fluctu freta ; qua patet hujus
 921 fluminis os, diri ripas habitant Iaxartae.
 922 Tendere non horum quisquam certaverit arcus :
 923 ambitus hos etenim multus trahit et grave curvis
 924 pondus inest taxis, longo sunt spicula ferro,
 925 et rigor in nervis veluti bovis. Inde cruenti
 926 sunt Tocari, Phrurique truces, et inhospita Seres
 927 arva habitant, gregibus permixti oviumque boumque
 928 vellera per silvas Seres nemoralia carpunt.
 929 Ultima Epetrimos tellus habet ; et procul ista
 930 cassa virum est, nullis pecorum balatibus agri
 931 persultant ; herbae viduus jacet undique caespes,
 932 fronde caret ; nusquam terras intersecat amnis.
 933 Caspia tot late circumdant aequora gentes.
 934 Nunc rursus ab Colchis et glauci Phasidis undis
 935 occiduum ad solem populos memorate, Camenae,
 936 usque in Threicii fauces maris ! Aspera primum
 937 Byzeron est gens ; diri sunt inde Bechires,
 938 Macrones, Phyliresque et pernix Durateum gens.
 939 Inde Tibareni, Chalybes super, arva ubi ferri
 940 ditia vulnifici crepitant incudibus altis.
 941 Post hos Assyriae tenduntur jugera terrae,
 942 Armenioque jugo late surgens Thermodon
 943 erigitur celsa in fastigia prisca Sinope.
 944 Hanc urbem quondam, magni Jovis ardor, Asopis
 945 virgo, locans saevae propter confinia terrae,
 946 aulam habuit, plebemque suo de nomine dixit.
 947 Nec procul hinc purus laticem provolvitur Iris ;
 948 et citus Armeniae cursum convallibus arcis,
 949 qua vastum in pelagus vergit saxosa Carambis,
 950 urget Halys ; tum Paphlagonum sata longa patescunt,
 951 et Mariandinon gens incolit, unde triformis
 952 ora canis superas quondam produxit in auras
 953 Alcides Erebo ; propter Bithynia glebam
 954 exerit ; hic late Rhebas extenditur amnis,
 955 Rhebas, coeanei qui dissicit aequora ponti,
 956 Rhebas, argento similem qui porrigit undam.
 957 Hi Pontum cingunt populi. Nunc illa canatur
 958 ora Asiae, glaucus pelagi quam subluit aestus,
 959 axe Noti in fauces rapidi procul Hellesponti,
 960 et freta qua spumant Aegyptia partibus Austri,
 961 usque Arabas et longa Syrae confinia terrae.
 962 Dictum etenim quantus rigidas Scythia degat ad Arctos.
 963 Calchedon tumulus fluctu circumdatus alto
 964 eminus Europam proceraque moenia Byzae
 965 aspicit : ab tergo tendit Bebrycia glebam,
 966 celsaque nubiferae sustollit culmina rupis
 967 Mysos ager : Mysos tacitum diffusus in aequor
 968 tergaque flavescens sulcat Cius ; hujus ad undam
 969 pulcher Hylas nymphis quondam fuit anxia cura.
 970 Hinc in caeruleum cedit sinus Hellespontum,
 971 explicat et Phrygiam tellus incurva Minorem ;
 972 major Sangario late praestringitur amni.
 973 Haec procul eoos procedit plurima in axes,
 974 fertilis herbarum ; qua caelum rursus in umbras
 975 inclinat vertex, panduntur terga Minori,
 976 quae jacet immensae late sub rupibus Idae

977 infortunatam pertingens caespite Trojam.
 978 Aeolis inde patet vastum super Hellespontum
 979 Aegaei per terga sali. Prolixus Ionum
 980 rursus ager glebam protenditur ; hunc secat ingens
 981 Maeander, salsique ruens vada gurgitis intrat.
 982 Comminus hic gelidi qua spirant flabra Aquilonis,
 983 urbs Ephesus tetricae sustollit fana Dianae,
 984 munus Amazonidum memorabile ; nec minus inde
 985 Lydia procedens longum latus explicat Euro ;
 986 in qua vitiferae Tmolus juga proserit arcis,
 987 et Pactolus aquas agit auriger, arva canoris
 988 persultant cygnis ; curva sedet undique ripa
 989 creber olos, laetis adsurgunt gramina campis,
 990 herbaque luxurians sola semper pingua vestit.
 991 Sed locuplete magis Maeandria gleba recumbit
 992 ubere, nam blandi terram rigat unda Caystri.
 993 Maeonis hic etiam deducit turba choreas ;
 994 aurea subnectunt haec vincula, ritus Iaccho
 995 luditur atque sacris feriunt ululatibus aethram ;
 996 virgineusque chorus late strepit, exilit omnis
 997 coetus, ut instabiles vaga pendent corpora dammae.
 998 Chaurorum quoque flabra deo famulantia ludunt
 999 ritibus in vulgi ; subeunt haec serica saepe
 1000 pallia, et impulsu zephyris agitantur amictus.
 1001 Haec linquenda tamen laeto reor omnia Lydo.
 1002 Qua se Xanthus agit, Lyciorum tenditur ora
 1003 inclinata mari, surgunt ibi culmina Tauri
 1004 Pamphylicae in fines : hic idem Cragus habetur
 1005 nomine sub gentis ; prope celsam surgit in arcem
 1006 prisca Side : fomes calidis adoletur in aris
 1007 saepe Dionaeae Veneri ; stat Corycus alta,
 1008 stat Perge propter, micat ardua tecta Phaselis
 1009 eminus, et Phoebi radiis tremit aemulus ardor.
 1010 Inde Lycaoniae tractus jacet : impiger agros
 1011 incola decurrit, sitit atrum dira cruorem
 1012 gens hominum, et saevo pascuntur pectora bello.
 1013 Tum Pisida ferox exercet pingua culta,
 1014 Telmissusque dehinc urbs eminent, eminent arcem
 1015 inclyta per nubes attollens moenia Lyrbe,
 1016 et Lacedaemoniae surgunt fastigia Selges.
 1017 Plurimus hinc terras intrat sinus, undaque longe
 1018 vicina Euxino rupti sola caespitis urget.
 1019 Hic diros Cilicas trames tenet ; inque diei
 1020 tenditur exortum ; sulcant duo flumina terram,
 1021 Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus aequor.
 1022 Cydnus item mediae discernit moenia Tarsi.
 1023 Pegasus hoc olim suspendit caespite sese,
 1024 impressique solo liquit vestigia calcis,
 1025 esset ut insigni revoluta in saecula semper
 1026 nomen humo, clari post ultima Bellerophontis.
 1027 Sic caespes late producit Aleius arva,
 1028 horrescitque comis nemorum, per inhospita cujus
 1029 aequora secreto vitam protraxerat agro.
 1030 Lyrnessusque dehinc, hic Malus et Anchialea,
 1031 illustresque Soloe post carmina vatis alumni.
 1032 Commagenorum propter diffunditur ora ;
 1033 et procul Hesperium curvatur limes in axem,
 1034 donec piniferas Casii prorepat ad arces.

1035 Hinc solers Asiam facili cape carmine totam.
1036 Forma sit hujus enim talis tibi : quattuor illam
1037 in latera effusam cordi dato ; longior autem
1038 sit modus his rutili quae spectant sideris ortum ;
1039 tumque tene primo quod carmine musa locuta :
1040 totam Asiam celsi praecingi vertice Tauri
1041 extima in Indorum ; montis tamen accipe molem
1042 per latus id duci quo dat Cynosura pruinas ;
1043 solis ab occasu vastum decurrere Nilum ;
1044 Indicum ab eois mare fervere, rursus ab Austro
1045 fluctibus immodicis Rubri salis aequora volvi.
1046 Ora Syrum curvi procumbens litoris acta
1047 in Notum et eoi confinia tenditur Euri.
1048 Haec "Coele" est Graio sub nomine : namque duobus
1049 ut conclusa jugis, vallis vice, multa cavatur.
1050 Ab zephyro Casius mons imminet ; axe diei
1051 consurgentis item Libanus premit arduus arva.
1052 Pars procul a pelago terras colit, inque recessu
1053 gens agitat ; salso quidquid pulsatur ab aestu
1054 Phoenicum regio est : hi Rubro a gurgite quondam
1055 mutavere domus, primique per aequora vecti
1056 lustravere salum ; primi docuere carinis
1057 ferre cavis orbis commercia ; sidera primi
1058 servavere polo ; populis Phoenicibus ergo
1059 urbs Iope, sterilisque dehinc habitatur Elais,
1060 Gazaque proceris adsurgens undique muris.
1061 Hic Tyrus est opulens, et Berytus optima, Byblos,
1062 Sidonisque lares, ubi labens agmine amoeno
1063 caespitis irrigui Bostrenus jugera findit.
1064 Nec minus hic Tripolis pingui sola porrigit agro ;
1065 Orthosisque dehinc attollitur ; hic Marathus stat.
1066 Litoris extremo caput altis turribus effert
1067 Laodice, et glauci praelambitur aequoris unda.
1068 Hic nemorosa virent Daphnae loca, celsa cupressus
1069 erigitur, ramos innectit laurus odora,
1070 crine Dionaeo myrtus diffunditur, altae
1071 consurgunt pinus, et caelum sibila pulsant
1072 robora, mollicomis tellus insternitur herbis.
1073 Urbs mediis Apamea dehinc consistit in arvis,
1074 et qua Phoebam procul incunabula lucem
1075 prima fovet, Emesus fastigia celsa renidet ;
1076 nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
1077 turribus in caelum nitentibus ; incola claris
1078 cor studiis acuit, vitam pius imbuit ordo ;
1079 denique flammicomo devoti pectora Soli
1080 vitam agitant ; Libanus frondosa cacumina turget,
1081 et tamen his celsi certant fastigia templi.
1082 Hic scindit juxta tellurem glaucus Orontes,
1083 nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem
1084 praestringens undis Apamenae jugera glebae.
1085 Fertilis hic caespes protenditur arvaque amica
1086 sunt pecori ; in septu facilis Pomona resurgit,
1087 et fecunda Ceres campo flavescit aperto.
1088 Si rursus tepidum via deflectatur in Austrum,
1089 curva sinus Arabi succedent aequora propter.
1090 Namque Arabas Syriaeque solum sinus iste fluente
1091 dividit, et tentis procul interfunditur undis ;
1092 et tamen eois paulum inclinatur in axes

1093 usque in belligeri confinia flexus Elani.
 1094 Hinc tellus Arabum producit caespite campos,
 1095 et latera ab gemino sale cingitur ; alluit aestus
 1096 Persicus hanc, Arabumque sinus rigat aequore terram.
 1097 His sua flabra polo spirant : nam Persicus Euro
 1098 turgescit vento, Zephyro sinus aestuat alter.
 1099 Pars autem in primos quae semet porrigit ortus
 1100 et Notus insurgit qua nubifer aequore Rubri
 1101 tangitur Oceani ; felici terra recumbit
 1102 tota solo : tellus hic semper fragrat odoro
 1103 caespite ; prorumpit lacrimoso stipite myrrha,
 1104 Myrrha furor quondam Cinyreius ; hic ladani vim
 1105 vellera desudant, calami coma pullulat almi,
 1106 gignit humus casiam, concrescunt tura per agros,
 1107 longaque fecundis pinguescit odoribus ora.
 1108 Vera fides illic femoris sub imagine partus
 1109 disrupisse Jovem penetralia : proderet ortus
 1110 ut sacer aetheria fulgentem fronte Lyaeum.
 1111 Nascenti Baccho risit pater, undique fulsit
 1112 caelicolum sedes, convexaque pura tetendit
 1113 festa dies ; tellus effudit dives odores ;
 1114 villorum subitis tumuit pecus incrementis ;
 1115 ver habuere suum nova gramina, flore frequenti
 1116 pinsit terra sinus, ac Nymphis unda cucurrit
 1117 largior ; internis etiam procul undique ab oris
 1118 ales amica deo largum congegit amomum.
 1119 Extemplo Liber subnectit nebride pectus,
 1120 effusasque comas hedera ligat, inde virentis
 1121 attollit thyrsos, et blandi luminis igne
 1122 os hilarat, totaque celer diffunditur aethra.
 1123 Sed propter Libanum terram sulcant Nabataei,
 1124 Chaulasiique dehinc, Agraei rursus et inde
 1125 Chatramis est tellus ; Macae vicina fluento
 1126 Persidis accedunt ; Rutili contermina ponti
 1127 Minaei Sabataeque tenent ; super impiger ampla
 1128 aequora desulcat glebae ditis Catabanus.
 1129 Plurima praeterea gens circumplectitur illic
 1130 oram Arabum, muta sed degunt agmina fama,
 1131 et numerus cunctis inglorius. Inde Favoni
 1132 qua plaga fecundis alit almos flatibus agros,
 1133 barbara montivagos tellus extendit Erebas ;
 1134 hi vitam duris agitant in cautibus omnem
 1135 intectique artus erepunt ardua semper
 1136 culmina saxorum ; non ollis pabula in usum
 1137 terra parit : glebas abrodunt more ferarum
 1138 jejunas herbae nec amicas frugibus ullis.
 1139 Hinc ultra Libani rursus fastigia celsi,
 1140 lux Hyperionio qua se sustollit ab ortu,
 1141 alterius Syriae limes jacet usque Sinopen
 1142 gurgitis attiguam ; mediis hic impigra in arvis
 1143 Cappadocum gens est ; propter freta turgida rursus
 1144 Assyrii juxta sunt ostia Thermodontis,
 1145 et festina citis evolvitur unda fluentis.
 1146 Nec procul, attollit qua se facis ardor eoae,
 1147 plurimus Euphratae manat liquor ; iste feroci
 1148 fusus ab Armenia vastum caput exerit antro,
 1149 inque Notum primae protenditur agmine molis ;
 1150 at matutinos iterum conversus in axes,

1151 dividit inserto mediam Babylona fluento.
1152 Inde Teredoniae juga propter maxima rupis
1153 Persidis in pontum sparso cadit effluus amni.
1154 Hunc super, in septem quantum via carpitur ortus
1155 caespitis extenti spatiis, citus aequora Tigris
1156 prona rotans, et saxa jugis avulsa supernis,
1157 et totas late celeri trahit agmine silvas.
1158 Quin et vasta palus medio distenditur agro ;
1159 maximus hanc fluctu Tigris secat : intrat aperti
1160 terga lacus, stupet unda silens, tacitaeque recumbunt
1161 aequora Thospitis ; solidarum denique more
1162 riparum stagni facies incisa quiescit,
1163 invectumque sibi cohibens altrinsecus amnem
1164 stat disclusa palus. Sic Elidis incola pontum
1165 dissicit Alpheus : pelago sic inserit undas
1166 illaesum optatae flumen ducens Arethusae.
1167 Ergo per et stagnum vehitur celer amnis apertum,
1168 hoc elapsus item vim proni gurgitis urget.
1169 Non alium tantus rapit impetus ; haud ita quisquam
1170 spumescit fluctus neque tantos ulla fragores
1171 unda ciet. Medio quae tellus funditur agro
1172 hoc Interamnis nomen tenet ; ut situs illam
1173 flumine praecinctam gemino per aperta locavit.
1174 Non qui lanatum longo pecus educat agro,
1175 aut qui cornigeri ductor gregis arva pererrat,
1176 gramina qui pastor simis petit apta capellis,
1177 quique cavo solers committit semina sulco,
1178 quem Pomona juvat, quem ramis aesculus altis
1179 illicit et pingui dependens subere glando ;
1180 bracchia Nysaei qui palmitis ordine justo
1181 digerit, aut tectis siquis dolat impiger ornos,
1182 vel salis in fluctus qui cumbam navita texit,
1183 spreverit hos saltus : nihil indiga subtrahit ora,
1184 dives humo tellus, dives jacet arbore caespes.
1185 Istius in Borean quidquid protenditur agri,
1186 Armenii et vita duri sulcant Matieni.
1187 Qua sunt flabra Noti, Babylon subducitur arce
1188 procera in nubes : hanc prisca Semiramis urbem
1189 vallavit muris, quos non absumere flammae,
1190 non aries penetrare queat. Stat maxima Beli
1191 aula quoque argento, domus Indo dente nitescit ;
1192 aurum tecta operit, sola late contegit aurum.
1193 Ipsa dehinc tellus, quae circumplectitur urbem,
1194 et procerarum fluctu vernat palmarum,
1195 et splendente procul beryllo ferta renidet.
1196 Hic tamen internis Ophietidis arcis in arvis
1197 inter gemmiferas excrescit creber harenas.
1198 Hinc Babylona super, geminae pro finibus Ursae,
1199 Cissi Massabataeque et Chalonita vagantur.
1200 At rursus Armeniae siquis pede pergat ab arce
1201 rupis et eoas gressum producat in oras,
1202 Medica prolixos spectabit regna per agros.
1203 Horum qui gelidi succedunt Plaustra Bootis
1204 pingua rura tenent : sunt illic Atropateni,
1205 sunt Geli et Mardi. Tepidum qui rursus ad Austrum
1206 oram habitant, Scythicae deducunt semina gentis.
1207 Nam Medea ferox fuit ollis sanguinis auctor.
1208 Haec cum Pandionis letum componeret aulae,

1209 Attica qua pulchro tellus pinguescit Ilisso,
 1210 proditur, inque fugam propere convertitur exul.
 1211 Has post in terras pinu subit Aetine
 1212 inseditque locos : veteres accedere Colchos
 1213 nulla inerat menti fiducia. Denique ab illa
 1214 Medorum suboli magicae furor artis inhaeret.
 1215 Pars gentis, rutilos Phoebi quae spectat in ortus,
 1216 saxa habitat, saxis excudit narcissiten.
 1217 Qui propter dumos nemorosaque rura vagantur
 1218 in pecus intenti, crebro grege pascua tondent.
 1219 Medica se tantos effundit gleba per agros
 1220 Caspia ut extento contingat caespite claustra.
 1221 Haec Asiae dicere fores, hiet ore quod illo
 1222 porta quasi et longas bivium discedat in oras.
 1223 Panditur Hyrcanis hinc janua ; janua Persis
 1224 hinc patet, imbriferum qua vergit mundus in Austrum.
 1225 Ecce sub immenso portarum vertice Parthi
 1226 rura tenent, curvi nequicquam vomeris usu
 1227 sollicitanda sibi ; non ollis cura laborque,
 1228 aequora terrarum gravibus componere rastris :
 1229 exercent saevi se semper Martis in arma.
 1230 Sica comes lateri est, manus autem hastilia vibrat,
 1231 demittunt pharetras umeris et letifer arcus
 1232 semper inest laesae ; neque per compendia diras
 1233 producunt animas ; non puppibus aequora sulcant,
 1234 non proni gregibus pecoris fera vita juvatur.
 1235 Sed quatit alipedum sola semper cursus equorum
 1236 pulsaque terra gemit ; discurrunt crebra per auras
 1237 spicula, missilibus late subtexitur aer.
 1238 Quin etiam post hos amor est si discere Persas
 1239 consimilis solersque trahit te cura per orbem,
 1240 has quoque Musa tibi formabit carmine terras,
 1241 quae liquidos amnis via devehat, utque jugorum
 1242 consurgat vertex, quibus oris arva recumbant
 1243 barbara, famosum qui Persam roboret usus.
 1244 Quippe Asianarum primi degunt regionum.
 1245 Vita opulens genti, gazas quoque terra ministrat
 1246 omnibus, et largum populis producit aevum.
 1247 Dives in his mos est jam longi tempore saeculi,
 1248 ex quo Maeoniam bello trivere cruento.
 1249 Illudunt auro vestes, et cuncta teguntur
 1250 auro membra viris, auro vestigia condunt :
 1251 tantus Persarum dissolvit pectora luxus.
 1252 Ipsa autem tellus inclusa est montibus altis,
 1253 undique in australem latus inclinatio axem,
 1254 ac Borean longe, longe quoque Caspia claustra
 1255 deserit, atque Noti placida perfunditur aura.
 1256 Istius at spatii finem dat Persicus aestus,
 1257 incoliturque solum populis tribus. Una sub arcto
 1258 pars agit, armigeris nimium contermina Medis ;
 1259 altera per mediae telluris terga vagatur ;
 1260 porro ad flabra Noti, pelagus prope, tertia degit.
 1261 <Undique flumina multa fluunt quoque per regiones> ¹
 1262 Persidis et rigidas curvant labentia ripas.
 1263 Arva secat Cyrus, perrumpit rura Choaspes,
 1264 Indica provolvens procul aequora ; cujus ad undam
 1265 incola flaventem studio sectatur achatem.
 1266 Nam cum brumali ceciderunt sidere nimbi,

1267 imbribus et caelo fuis furit auctior amnis,
1268 hos lapides late flumen trahit ; undique tellus
1269 circumjecta dehinc laeti viret ubere campi.
1270 Sed qua caeruleam sinus infert Persicus undam,
1271 gens Carmanorum late colit ; hanc facis ortus
1272 urit Phoebeae ; tanto quoque funditur agro,
1273 ut simul et glauci contingat gurgitis aestum,
1274 et procul internae perreptet jugera terrae.
1275 Hos super et tellus tendit Gedrosia glebam
1276 Oceani vicina fretis ; at flumen ad Indum
1277 Auroraeque latus Scytha miti proximus Austro
1278 accolit : "australis" certe Scytha dicitur iste ;
1279 namque alii dura pulsantur desuper arcto.
1280 Indus Caesariae prorumpens rupis ab antro
1281 adversum pelago Rubri procul aequoris amnem
1282 porrigit, inque notum recto fluit agmine aquarum.
1283 Ora dehinc Indo duo sunt mediumque per agrum
1284 insula se vasto fundit tergo Patalene.
1285 Innumeras idem dispescit flumine gentes,
1286 Oritas Aribasque et veloces Arachotas,
1287 et Satram infidum, vel qui per inhospita late
1288 discreti populis, discreti finibus agri
1289 arva agitant, uno sed nomine sunt Arieni.
1290 Hi quamquam steriles decurrant semper harenas,
1291 munera nec carpant cerealia nec nova prelo
1292 musta premant, fulvo tamen invenere corallo
1293 pandere vivendi commercia, quaerere pulchrae
1294 sapphiri latebras et praeduros adamantas.
1295 Calliope, Indorum populos et regna canamus.
1296 Ultima terrarum tellus aspergitur Indi
1297 fluctibus Oceani ; primam coquit hanc radiis sol,
1298 sol Hyperionius, sol magni gratia mundi,
1299 astrorum genitor, lucis sator et vigor aethrae.
1300 Sed genti Indorum taeter color ; efflua semper
1301 his coma liventes imitatur crine hyacinthos.
1302 Terrarum in latebris excludant caute metalla ;
1303 pars telas statuunt et vestimenta laborant
1304 lintea : pars Indi procurat segmina dentis
1305 atque ebur invigilat ; multi, qua flumina nimbis
1306 auget hiems, vastum ut late trahat agmen aquarum
1307 alveus et celsas evincant aequora ripas,
1308 palantes obeunt beryllum, prona fluenta
1309 quem procul internis a finibus, aut adamantas
1310 detulerint ; his glauca dehinc tornatur iaspis.
1311 Nec minus et bacas alii prope marmora curvis
1312 excudunt conchis ; pars rursus divite cura
1313 herbosi lapidis venas fodit ; hique rubore
1314 suffusas blando quaerunt campis amethystos.
1315 Horum dives enim tellus est Indica semper
1316 et tali scrupo caespes tumet. Amnibus autem
1317 fertilis irriguis crebro praelambitur ora.
1318 Extendunt celsi vaga late brachia luci
1319 et vernat nemorum semper coma. Nunc tibi formam
1320 terrarum expediam, nunc carmine flumina fabor,
1321 nunc rigidos montes, nunc multae denique gentis
1322 absolvam populos. Latera agris undique in Indis
1323 quattuor esse tene : coeant tot et anguli ab omni
1324 parte sibi, oblique claudentes extima terrae,

1325 ceu species rhombo est. Zephyri de partibus, Indus
1326 gurgitis occursu fit certae terminus orae ;
1327 axe Noti Rubri late salis objacet unda ;
1328 flumen item Ganges fit limes caespiti eoo ;
1329 adque Lycaonia consurgit Caucasus Arcto.
1330 Aequare qua fuso laticem provolvitur Indus,
1331 Dardanidum gens est, ubi magnus sorbet Hydaspes
1332 delapsum summa saxorum mole Acesinen.
1333 Tertius amnis item secatur agri proxima Cofes ;
1334 in medioque Sabae sunt caespites ; gens quoque Scodri
1335 propter agit ; populique dehinc velut ordine facto
1336 Peuceleum longas exercent vomere terras.
1337 Gargaridae rursum : gens haec obnoxia Baccho,
1338 et glebam sulcant, et ritibus orgia ludunt.
1339 Hic Hypanis lateque trahens vaga terga Cymander,
1340 rupe procul fulvum provolvunt fluctibus aurum ;
1341 nec minus hi campos intrant Gangetidis orae,
1342 quae per flabra Noti fuso distenditur agro,
1343 usque in celsa jacens confinia Colidis arcis.
1344 Colis et ipsa dehinc cetosi vergit in aequor
1345 Oceani, tantoque jugo subit aetheris auras
1346 arceat alituum subducta ut rupe volatum.
1347 Sed circum Gangem regio est devota Lyaeo,
1348 perpetuique sacri talis narratur origo.
1349 Indorum in populos fatalia Liber agebat
1350 proelia ; vipereo late Bellona flagello
1351 increpat, et magno tremuerunt regna pavore,
1352 insistente deo. Venit ergo ad flumina Gangis
1353 discursuque sacro praeludit proelia Liber.
1354 Maenades extemplo maculosae nebridis usum
1355 permutant clipeis viridique hastilia thyrsos
1356 succedunt ; solvunt properantes linthea Bacchae
1357 vincula, viroso pectus vinxere dracone ;
1358 pro molli vitta prorepunt crine chelydri ;
1359 excitoque ferox persultat in agmine Mavors.
1360 Dux aquilas in bella rapit, tremit Indica tellus
1361 pressa pede, et toto tonuerunt classica caelo.
1362 Ergo et Nysaeos discit gens rite recessus,
1363 et stata sollicito deducunt orgia ritu.
1364 Ipse dehinc diros ut Liber perculit Indos,
1365 Hemodi victor conscendit verticis arces,
1366 effusamque solo gentem procul aspicit omnem ;
1367 ima jugi extantis vestigia gurgite canent.
1368 Oceani eoi praetento denique Bacchus
1369 litore et extrema terrarum victor in ora,
1370 ducit laurigeros post Indica bella triumphos ;
1371 erigit et geminas telluris fine columnas
1372 invisitque dehinc Ismeni fluminis undam.
1373 Has tantum gentes commendat fama per orbem.
1374 Vile aliae vulgus, pecorum vice, terga pererrant
1375 caespitis abjecti : non his aut gloria forti
1376 parta manu est, aut clara decus peperere metalla
1377 terrarum venis : habitant ignota locorum
1378 semper inexpertes famae, per inhospita degunt
1379 arva procul, nullis sunt dignae denique Musis.
1380 At tu, Phoebae pater, vos clari turba, Camenae,
1381 [LACUNE]nominis, Aonio famam inspirate labori.

¹ vers restitué (oublié dans l'edition numérique utilisée...)